

**Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.**

*Aeneid VI.54-70*

Gelidus Teucrīs per dūra cucurrit

55 ossa tremor, funditque precēs rēx pectore ab īmo:

“Phoebe, gravēs Troiae semper miserāte labōrēs,

Dardana quī Paridis dērēxtī tēla manūsque

corpus in Aeacidae, magnās obeuntia terrās

tot maria intrāvī duce tē penitusque repostās

60 Massŷlum gentēs praetentaque Syrtibus arva:

iam tandem Ītalīae fugientis prendimus ōrās.

Hāc Troiāna tenus fuerit fortūna secūta;

vōs quoque Pergameae iam fās est parcere gentī,

dīque deaeque omnēs, quibus obstitit Īlium et ingēns

65 glōria Dardaniae. Tūque, ō sānctissima vātēs,

praescia ventūrī, dā (nōn indēbita poscō

rēgna meīs fātīs) Latiō cōnsīdere Teucrōs

errantēsque deōs agitātaque nūmina Troiae.

Tum Phoebō et Triviae solidō dē marmore templum

70 īnstituam fēstōsque diēs dē nōmine Phoebī.

**Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.**

*Aeneid VI.71-87*

Tē quoque magna manent rēgnīs penetrālia nostrīs:

hīc ego namque tuās sortēs arcānaque fāta

dicta meae gentī pōnam, lēctōsque sacrābō,

alma, virōs. Foliīs tantum nē carmina mandā,

75 nē turbāta volent rapidīs lūdibria ventīs;

ipsa canās ōrō.” Fīnem dedit ōre loquendī.

At Phoebī nōndum patiēns immānis in antrō

bacchātur vātēs, magnum sī pectore possit

excussisse deum; tantō magis ille fatīgat

80 ōs rabidum, fera corda domāns, fingitque premendō.

Ōstia iamque domūs patuēre ingentia centum

sponte suā vātisque ferunt respōnsa per aurās:

“Ō tandem magnīs pelagī dēfūncte perīclīs

(sed terrae graviōra manent), in rēgna Lavīnī

85 Dardanidae venient (mitte hanc dē pectore cūram),

sed nōn et vēnisse volent. Bella, horrida bella,

et Thybrim multō spūmantem sanguine cernō.

**Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.**

*Aeneid VI.88-105*

Nōn Simoīs tibi nec Xanthus nec Dōrica castra

dēfuerint; alius Latiō iam partus Achillēs,

90 nātus et ipse deā; nec Teucrīs addita Iūnō

ūsquam aberit, cum tū supplex in rēbus egēnīs

quās gentēs Italum aut quās nōn ōrāveris urbēs!

Causa malī tantī coniūnx iterum hospita Teucrīs

externīque iterum thalamī.

95 Tū nē cēde malīs, sed contrā audentior ītō,

quā tua tē Fortūna sinet. Via prīma salūtis

(quod minimē rēris) Graiā pandētur ab urbe.”

Tālibus ex adytō dictīs Cūmaea Sibylla

horrendās canit ambāgēs antrōque remūgit,

100 obscūrīs vēra involvēns: ea frēna furentī

concutit et stimulōs sub pectore vertit Apollō.

Ut prīmum cessit furor et rabida ōra quiērunt,

incipit Aenēās hērōs: “Nōn ūlla labōrum,

ō virgō, nova mī faciēs inopīnave surgit;

105 omnia praecēpī atque animō mēcum ante perēgī.

**Directions: Print this out and bring it to class so we can use it for sight reading. At home, reread the portions we did in class and finish anything we didn't do together.**

*Aeneid VI.106-123*

Ūnum ōrō: quandō hīc īnfernī iānua rēgis  
dīcitur et tenebrōsa palūs Acheronte refūsō,  
īre ad cōnspectum carī genitōris et ōra  
contingat; doceās iter et sacra ōstia pandās.

110 Illum ego per flammās et mīlle sequentia tēla  
ērīpuī hīs umerīs mediōque ex hoste recēpī;  
ille meum comitatus iter maria omnia mēcum  
atque omnēs pelagīque minās caelīque ferēbat,  
invalidus, vīrēs ultrā sortemque senectae.

115 Quīn, ut tē supplex peterem et tua līmina adīrem,  
īdem ōrāns mandāta dabat. Gnātīque patrisque,  
alma, precor, miserēre (potes namque omnia, nec tē  
nēquīquam lūcīs Hecatē praefēcit Avernīs),  
sī potuit mānēs accessere coniugis Orpheus

120 Thrēiciā frētus citharā fidibusque canōrīs,  
sī frātre Pollūx alternā morte redēmit  
itque reditque viam totiēns. Quid Thēsea, magnum  
quid memorem Alcidēn? Et mī genus ab Iove summō.”